



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 136. Vtrum soli Angeli, an etiam Deus in veteri, vel nouo testamento apparuerint aliquando in corpore phantastico assumpto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

QVAESTIO CXXXVI.

per formam purè assistentem, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Vt corpus moueatur vitaliter, debet moueri ab intrinseco per formam sibi substantialiter vnitam; sed corpora assumpta mouentur ab Angelo purè extrinsecè assistente talibus corporibus; ergo non mouentur vitaliter. Addo ex S. Thoma in responsione ad 3. quod licet Angeli moueantur per accedens, motis corporibus assumptis, tamen propriè non ambulant. Ambulare enim propriè est moueri in corpore sibi substantialiter vnito. Angeli igitur, qui gradiebantur simul cum Abraham, ambulant non verè, & propriè, sed solum similitudinariè, & apparenter.

18. Ad 3. distinguo maiorem; locutio propria est actus vitalis, concedo; locutio similitudinaria, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Loqui propriè est formare voces per motum organi corporei sibi substantialiter vniti; sed Angeli formant voces per motum organi non sibi substantialiter vniti; ergo non loquuntur propriè, sed similitudinariè, vt docet S. Thomas hic in responsione ad 4. Et quia sola locutio sensibilis propria est vitalis, locutio autem similitudinaria non est vitalis, idè Angeli in corporibus assumptis non loquuntur vitaliter.

19. Ad 4. distinguo maiorem; comestio propria est actus vitalis, concedo; comestio similitudinaria, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Comestio propria est, per quam viuens diuidit, ac deuorat cibum per organa sibi substantialiter vnita; sed Angeli in corporibus assumptis diuidunt, & deuorant cibum per organa sibi substantialiter non vnita; ergo non comedunt propriè, sed similitudinariè. Idè Raphael Tob. 12. dixit. *Cum essem vobiscum, videbar manducare, & bibere; sed ego inuisibili cibo, & potu vior.* Comestio solum similitudinariè non est vitalis.

20. Ad 5. Generatio propria est, per quam aliquis generat per organa sibi substantialiter vnita, & per semen à se decisum; sed dæmones incubi non coeunt cum mulieribus per organa sibi substantialiter vnita, nec decidunt ex se semen, sed solum possunt matri mulieris, cum qua coeunt, immittere semen decisum ab aliquo viro, cum quo coierunt vt succubis; ergo non generant propriè, & vitaliter, sed solum apparenter, & similitudinariè, & qui generantur, non sunt propriè filij dæmonis, sed illius viri, à quo decisum est semen. Quod autem dentur dæmones incubi probat S. Thomas in responsione ad 5. auctoritate Augustini lib. 15. de ciuitate, cap. 15.

Vtrum soli Angeli, an etiam Deus in veteri, vel nouo testamento apparuerint aliquando in corpore phantastico assumpto?

1. Primò videtur Deus saltè in veteri testamento nunquam apparuisse. Nam apparitiones, quibus in Scriptura Deus dicitur apparuisse, ab eadem Scriptura tribuuntur Angelis; ergo verè Deus non apparuit, sed apparuerunt Angeli representantes Personam Dei, & loquentes nomine Dei.

2. Secundò videtur in veteri testamento apparuisse solum persona Filij, persona Patris, & Spiritus Sancti nunquam apparuisse. Sola enim persona Filij debebat apparere sensibilibiter in corpore substantialiter vnito per incarnationem; ergo sola persona Filij ad incarnationem figurandam debuit apparere in veteri testamento. Idè Concilium Syrmient. Can. 14. & 15. apud Hilarium lib. 1. de Synodis definit sub Anathemate fuisse Filium, & non Patrem, qui Abraham apparuit, & cum Iacob luctatus est; ac plures Patres, quos affert Suar. lib. 6. de Angelis, cap. 20. num. 7. & 8. docent solum Filium in veteri testamento apparuisse.

3. Tertiò videtur Deus aliquandò in veteri testamento apparuisse sine ministerio Angelorum. Sæpè enim in Scriptura dicitur Deus apparuisse, & non fit mentio vllius Angeli; ergo tunc immediatè apparuit sine ministerio Angelorum.

4. Quartò videtur Deus in veteri testamento ita apparuisse, vt assumpsit corpus phantasticum, proportionaliter, ac assumunt Angeli, vt dictum est qu. 134. Filius enim Dei in nouo testamento apparuit in corpore, cui substantialiter vnitus fuit per incarnationem; ergo conueniens fuit, vt in testamento veteri, quod fuit figura noui, appareret in corpore phantastico ad figurandam incarnationem.

5. Respondeo quinque præcipua dubia esse examinanda. Primum est, vtrum Deus in veteri testamento vnquam hominibus apparuerit. Secundum vtrum sola Persona Filij apparuerit, an etiam aliæ Personæ. Tertium vtrum omnes apparitiones veteris testamenti factæ sint ministerio Angelorum. Quartum vtrum Deus ita apparuerit, vt assumpsit corpus phantasticum. Quintum, quid dicendum sit de apparitionibus factis in nouo testamento.

6. Quæritur igitur primo, vtrum Deus in veteri testamento vnquam apparuerit.

7. Respondeo Malonium in 2. dist. 8. disput. 4. referre opinionem quorundam, qui dixerunt Deum nunquam in veteri testamento apparuisse, ac pro eis citat Gabrielem, in 2. dist. 8. quæst. 1. art. 2. Sed Gabriel eo loco non negat, sed concedit Deum apparuisse, ac solum negat Deum ita apparuisse, vt assumpsit

406 De apparitionibus Angelorum, & Dei:

rit aliquod corpus phantasticum. Verba Gabrielis sunt. *Licet Deus apparuerit Patribus in signis corporalibus, illa tamen corpora non assumpsit.*

8. Dicendum contra hanc opinionem, cuiuscumque sit: Deus sæpe antè Incarnationem apparuit hominibus sub forma visibili. Hanc sententiam vt certam tradit Suarius lib. 6. de Angelis cap. 20. num. 2.

9. Probatur primo: nam Scriptura sæpe dicit Deum apparuisse; sed istæ locutiones non sunt trahendæ ad sensus improprios; ergo Deus sæpe apparuit. Confirmatur, nam Patres, & præsertim Augustinus ita explicant ea loca Scripturæ, vt doceant Deum verè, & propriè apparuisse; ergo. Augustinus igitur epist. 117. dicit Deum verè apparuisse, & pro hac sententia citat Athanasium, Nazianzenum, Ambrosium, & Hieronymum; & idem docet Epist. 112. cap. 6. 7. & 8. citans Ambrosium lib. 1. in Lucam, cap. 1. & lib. 10. de Ciuit. cap. 13. docet Deum apparuisse toti populo, cum illi legem dedit Exod. 19. & 20. ac idem tradit lib. 4. de Trinit. post medium. Idem docent Hilarius de Trinit. & Leo Epist. 13. ad Pulcheriam, & Clemens Papa lib. 5. Constitut. cap. vltimo, & plures alij, quos citat Suar. lib. 6. de Angelis, cap. 20. num. 2. & sequentibus.

10. Si verò quærat, vnde possit dignosci, vtrum qui narratur apparuisse, sit Deus, vel Angelus, respondet Suarius lib. 6. cap. 20. num. 3. & sequentibus, posse id colligi primo ex verbis Scriptoris canonici. Si enim scriptor dicat Deum apparuisse, verba illa intelligenda sunt in sensu proprio, ac censendum apparuisse Deum, ac non solum Angelum. Secundo ex verbis, vel factis eius, qui apparuit. Si enim qui apparuit, dicat se esse Deum, vel ita loquatur, vt ille auctoritativus modus loquendi conveniat soli Deo, non autem Angelo, vel agat aliqua Dei propria, censendum est Deum apparuisse. Tertio ex verbis, & factis eorum, quibus apparitio est facta. Si enim illi talia dicant, vel agant, quæ soli Deo conveniunt, dicendum est Deum apparuisse. Explicat hanc doctrinam Suarius pluribus exemplis desumptis ex Scriptura.

11. Quæritur secundo, vtrum solum secunda persona, id est Verbum, & filius Dei, vel etiam Pater, & Spiritus Sanctus seorsim, aut simul apparuerunt in veteri testamento?

12. Respondeo duas esse sententias. Prima plurium Sanctorum Patrum docet solum secundam Personam apparuisse in veteri testamento. Quamvis enim aliqui Patres loquantur de aliquibus specialibus apparitionibus, ac dicant in illis apparuisse solum Filium Dei, tamen, ex identitate rationis colligitur ipsos hoc vniuersaliter existimasse de omnibus apparitionibus. Primo ergo Concilium Syrmienfe Can. 14. & 15. sub anathemate definit illum, qui apparuit Abraham, & luctatus fuit cum Iacob, non fuisse Patrem, sed Filium. Concilium porro Syrmienfe licet fuerit Ar-

rianorum, & non sit vniuersaliter receptum, tamen videtur receptum quoad canones editos contra Photinum. Idem docet Clemens lib. 5. constit. cap. 19. non solum de apparitionibus factis Abraham, & Iacob, sed etiam de apparitione facta Moyse, Exodi 3. & Iosue 5. Eusebius Cæsariensis lib. 1. de demonstr. Euag. cap. 5. concludit nullum alium fuisse præter Dei Verbum, qui ab antiquis Patribus Dei amicis est visus; idemque latè probat lib. 5. cap. 9. & sequent. & addit filium Dei vocari Angelum, quia Christus futurus erat Angelus, seu nuncius noui testamenti, ideoque vocatur etiam magni consilij Angelus. Idem docet lib. 1. Hist. cap. 3. & 4. ac Eusebium sequitur Niceph. lib. 1. cap. 1. Chrysost. & Theophil. exponentes illa verba Act. 7. *Apparuit illi, scilicet Moyse, Angelus* dicunt nomine Angeli intelligi Filium Dei. Idem docet Tertullianus libro contra Praxeam cap. 14. & lib. contra Iudæos, cap. 9. dicit. *Nam qui ad Moysen loquebatur, ipse erat Dei Filius, qui & semper videbatur. Deum enim Patrem nemo vidit vnquam; & eandem sententiam repetit alijs locis, vt notat Pamphilus in Prolog. Paradoxo 19. vbi aduertit Tertullianum etiã censuisse Verbum semper apparuisse in vera carne, licet nondum nata. Citantur etiam pro eadem sententia Iust. contra Triphonem, Irenæus lib. 3. cap. 6. & lib. 4. cap. 11. Cyprian. lib. 2. ad Quint. cap. 5. & 6. Epiph. in Anchorato, Ambros. Præfat. in Lucam, & lib. de Filij diuinit. cap. 8. Leo Magnus Epist. 13. ad Pulch. & alij, quos refert Suar. lib. 6. cap. 20. num. 7. & 8.*

13. Secunda sententia aliorum Patrum, paulò post citandorum, quos sequuntur Suar. lib. 6. cap. 20. num. 10. & recentiores Theologi satis communiter, docet non solum Filium, sed etiam alias Personas in veteri testamento apparuisse, & hanc sententiam existimo probabiliorē.

14. Probatur primo ex Scriptura, & Patribus. Primus locus est. Gen. 12. Abraham *tres vidit, & vnum adorauit*; sed per tres viros tres Personæ diuinæ, per vnius adorationem vnitatis Dei, & diuinæ essentiae figurata est, vt explicat S. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 10. & sequent. & lib. 16. de Ciuit. cap. 19. & lib. 3. contra Maxim. cap. 26. Ambr. lib. de fide Refurr. propè finem, Gregor. Nyssenus in fragmentis, & lib. de Cognit. Dei, & alij; ergo. Confirmatur nam ex ea apparitione Trinitatem Personarum in vna essentia colligunt Sixtus 1. Epist. 1. Ignat. Epist. 12. ad Antioch. Cyrillus Hierosol. Catech. 10. Athanasius in orat. contra Gregales Sabellij, Hilar. lib. 5. de Trinit. & alij; ergo existimant omnes tres Personas apparuisse. Confirmatur secundo. Nam licet Chrysostomus, & quidam alij verba illa, *tres vidit, & vnum adorauit*, explicant ita, vt illi tres non repræsentarent tres Personas diuinæ, sed repræsentauerint tres, quorum vnus videbatur dominus, alij duo ministri, tamen hæc explicatio est contra communem sensum aliorum

rum

rum Patrum, & ex contextu Scripturæ colligitur tres illos representasse tres Personas diuinas, vt probat Suar. lib. 6. cap. 20. num. 12.

15. Secundus locus est. Exodi 3. Deus apparens Moyſi dixit: *Ego sum, qui sum*, seu Iehoua, quod est nomen veri Dei; ac deinde addidit, *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob*; sed illa triplici repetitione significantur tres Personæ, vt docuit S. Marialis Epist. 1. ad Burdig. cap. 1. ergo. Confirmatur: nam Alexāder 1., Benedictus 1. Greg. Magnus lib. 19. mor. cap. 16. vel 18. & Homil. 16. in Ezechielē, Athanasius, Basilus, & alij aduertunt in Scriptura triplici illa repetitione denotari Trinitatem Personarum.

16. Ratio congruitatis est, quia apparitiones illæ factæ fuerunt, non solum ad figurandam Incarnationem, sed etiam ad figurandum mysterium Trinitatis; ergo fuit congruum, vt non solus Filius, sed omnes tres Personæ diuinæ aliquando appaterent.

17. Addo aliquando apparuisse speciali modo vnā solam Personam. Probatur. Nam Dan. 3. Nabuchodonosor dixit: *Ece video quatuor viros solutos, & species quarti similis est filio Dei*; sed hæc verba Augustinus conc. contra Iudæos, Paganos, & Arrianos, cap. 15, Rupertus de victoria Verbi Dei, cap. 21. Tertull. lib. 4. contra Marcionem, cap. 10. & 21. & alij interpretantur ita, vt Filius Dei specialiter apparuerit; ergo. Dan. 7. *Aspiciebam in visione vocis, & ecce quasi filius hominis veniebat, & peruenit usque ad antiquum dierum, & dedit ei potestatem, & honorem*; ergo specialiter apparuit Christus filius hominis, qui est secunda Persona; sed per antiquum dierum representabatur specialiter persona Patris; ergo etiam persona Patris specialiter apparuit, vt aduertit Augustinus lib. 2. de Trinit. cap. 18. De Spiritu Sancto, quod specialiter apparuerit in veteri testamento, non satis probari potest ex Scriptura. Probabile tamen est, quod cum Abraham Gen. 18. *Tres vidit, & vnū adorauit*, sub figura tertij viri specialiter apparuerit Spiritus Sanctus. Rursus probabile est, quod cum 3. Regum 19. Dominus dicitur transisse sub sibilo, aure tenuis, specialiter apparuerit Spiritus Sanctus. S. etiam Augustinus lib. 2. de Trinit. cap. 15. non asserendo, sed disputando insinuat probabiliter dici posse Spiritum Sanctum specialiter apparuisse in Monte Sina, quando Dominus super eum descendit, Exod. 19. Lex enim dicitur scripta digito Dei; sed digitus Dei est Spiritus Sanctus Lucæ 11; ergo.

18. Si verò queratur, quo pacto possit apparere specialiter vna Persona diuina, respondeo, quod sicut pictores formant quasdam figuras, quæ specialiter representant Patrem, alias, quæ specialiter representant Filium, vel Spiritum Sanctum, sic Pater dicitur specialiter apparere, cum apparet sub figura specialiter representante Patrem, eo pacto, quo Dan. 7. Pater representabatur sub figura hominis antiqui dierum, cuius, vestimentum erat candi-

dum quasi nix, & capilli capitis eius, quasi lana munda.

19. Opponunt. Io. 1. dicitur *Deum nemo vidit vnquam*; sed hoc intelligitur de Patre, ideoque Tertullianus legit, *Deum Patrem nemo vidit vnquam*; ergo.

20. Respondeo per illa verba significari solum, quod Deum prout est in se, in hac vita nemo vidit vnquam, & non significari, quod nemo viderit Deum Patrem apparentem sub aliqua imagine, & figura sensibili.

21. Queritur tertio, vtrum omnes apparitiones, quibus Deus apparuit in veteri testamento, factæ sint ministerio Angelorum?

22. Respondeo duas esse sententias. Prima docet Deum semper, vel saltem aliquando apparuisse sine ministerio Angelorum. Hæc opinio solet tribui illis Patribus, relictis num. 12., qui dixerunt semper apparuisse Filium Dei. Nam illi non solum alias Personas, sed etiam Angelorum ministerium excludunt; ideoque cum in his apparitionibus sit mentio Angeli, nomine Angeli interpretantur Christum, qui Isa. 9. vocatur *Magni consilij Angelus*. Dionysius etiam cap. 4. de diuinis nominibus dixit: *ipsum Iesum cum ad opus sue pietatis implendum in ordinem venisset nuntiantium; magni consilij Angelum fuisse pradicatum*; eumque sequuti sunt Patres Græci, & Latini, quos affert Pererius Dan. 3.

23. Secunda sententia S. Thomæ, 1. 2. qu. 98. art. 3. & communis scholasticorum, quos refert, & sequitur Suar. lib. 6. cap. 28. num. 28. docet Deum in veteri testamento nunquam apparuisse sine ministerio Angelorum, & hanc sententiam existimo probabiliorē.

24. Probatur primo ex Patribus. Dionys. cap. 4. de diuinis nominibus, dicit. *Huiusmodi diuinas visiones celeberrimi illi Patres nostri ministerio celestium virtutum ediscebant*; ac deinde hoc ex Scriptura confirmat. August. lib. 2. de Trin. cap. 10. & 11. & lib. 3. cap. 10. & 11. ex professio hoc probat ex Scriptura: & lib. 4. de Trin. cap. ultimo dicit. *Si quis à me querat, quomodo factæ sint sensibiles formæ ante Incarnationem Verbi Dei, quæ hoc futurum prefigurarent, per Angelos ea Deum operatum esse respondeo*. Idem docet Gregor. & Hieron. in illud ad Gal. 3. *Ordinata per Angelos &c.*

25. Probatur secundo: nam constat multas, easque præcipuas apparitiones, quibus Deus apparuit, factas esse ministerio Angelorum; sed eadem est ratio de cæteris, in quibus non fit mentio ministerij angelici; ergo. Probatur maior, afferendo has apparitiones. Nam primo Gen. 16. dicitur Angelum Domini apparuisse Agar; sed per illam apparitionem apparuit etiam Deus, ideoque vt ibidem dicitur, *Agar vocauit nomen Domini, qui loquebatur ad eam, tu Deus, qui vidisti me*; ergo apparuit Deus, sed ministerio Angeli. Secundo Gen. 21. dicitur, *vocauit Angelus de celo Agar &c.* sed etiam Deus apparuit, & allocutus est Agar, ideoque locutus est auctoritatē,

vt

ut Deus dicens: *In gentem magnam faciam eum*; ergo Deus apparuit, & locutus est ministerio Angeli formantis corpus, & voces. Tertio ex dictis num. 14. Gen. 18. Abrahæ sub specie trium virorum apparuerunt tres Personæ diuinæ, ac narratur, quod deinde abierunt Sodomam; sed cap. 19. dicitur, *veneruntque duo Angeli Sodomam*; ergo sub specie illorum virorum apparuit Deus, & Angeli, adeoque Deus apparuit ministerio Angelorum. Quarto Gen. 31. Deus apparuit Iacob in somnis, & subditur quod, in somnis audiuit eum dē dicentem sibi, *Ego sum Deus Bethel*; sed eodem cap. loquens de eodem somno dicit, *dixitque Angelus Dei ad me in somnis*; ergo Deus apparuit ministerio Angeli. Quinto Exod. 3. Deus apparuit Moyſi, ut probatum est num. 15. sed S. Stephanus Act. 7. loquens de ea visione dicit, *Apparuit illi in deserto Montis Sina Angelus in igne flamme rubi*, & tamen locutus est nomine Dei, ut ibidem refertur, & dixit, *Ego sum Deus Patrum tuorum*; ergo. Licet autem aliqui Patres nomine Angeli intelligant Christum, qui Iſa. 9. dicitur *magni consilij Angelus*, tamen Gregorius, Augustinus, & alij Patres nomine Angeli intellexerunt verum Angelum, & hic sensus utpote simplicior, & planior est præferendus. Sexto Exod. 19. vsque ad 34. & deinde cap. 40. narratur Deus vocasse Moyſem in monte Sinai, illique dedisse legem, & dicitur: *Vocauit eum dominus de monte, dixitque ei: hæc dices Filijs Israel, & non fit mentio Angeli*; sed Stephanus actorum 7. de Moyſe dicit: *Hic est, qui fuit in solitudine cum Angelo, qui loquebatur, & in monte Sina, & cum Patribus nostris*. Et Apostolus ad Galatas 3. de lege dicit, *quod ordinata fuit per Angelos*; ergo Deus apparuit Moyſi, & legem dedit ministerio Angelorum. Porro licet Chrysostomus in Epist. ad Gal. explicans illa verba, *ordinata per Angelos*, dicat nomine Angelorum intelligi vel sacerdotes, vel veros Angelos, & eodem pacto exponat Theophilactus, tamen uterque inclinat in secundam partem, Et quidem, quod lex vetus tradita fuerit per Angelos, colligitur aperte ex Apostolo ad Hebr. 1., ubi loquens de lege veteri dicit: *Si enim qui per Angelos datus est sermo*; sed loquitur de veris Angelis: nam, subdit omnes esse administratores spiritus; & ex eo, quod sint administratores spiritus, infert de Christo, qui est Filius, quod *melior est Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditauit*; & cap. 2. probat legem nouam esse excellentiorem veteri, quia noua data est per Filium, vetus autem per Angelos; ergo lex vetus data est per veros Angelos, ut docent communiter Sancti Patres, nimirum Theodoretus, explicans utrumque locum Apostoli; Hieron in Epist. ad Gal. 3. Dionysius cap. 4. de Cælesti Hier. August. lib. 10. de Ciuit cap. 13. & 15. Cyrillus libro 8. Thesauri, capit. 2. & alij.

26. Probatur tertio conclusio: nam iuxta regulam Dionysij, & Augustini, quos sequun-

tur communiter Theologi; Deus administrat res medias per supremas, & infimas per medias, cum id commodè fieri potest; sed omnes apparitiones veteris testamenti potuerunt fieri per Angelos; sola apparitio per vnionem hypostaticam non potuit per Angelos fieri; ergo omnes apparitiones veteris testamenti factæ sunt ministerio Angelorum, ac est proprium noui testamenti, ut Deus per se ipsum carnem assumpserit, & locutus fuerit per carnem assumptam.

27. Posito, quod Deus in veteri testamento semper apparuerit, & locutus fuerit ministerio Angelorum, quæri potest, quod ministerium Angeli in talibus apparitionibus exhibuerint?

28. Dicendum Angelos formasse corpora illa Deum representantia, ac formasse voces, quibus Deus loquebatur, & cooperatos esse ad alia signa faciendā. Licet igitur Chrysostomus, & Theophilactus in Comm. Epist. ad Gal. 3. explicantes, quo pacto lex vetus ministrata fuerit per Angelos, insinuent ministerium Angelorum fuisse solum in hoc, quod Angeli interfuerint tanquā testes, & ministri faciendæ signa, puta sonitum tubæ &c. ita ut solus Deus per se ipsum legem distauerit, tamen Paulus satis clarè indicat ipsos Angelos legem distasse, dum ad Heb. 1. dicit: *si enim, qui per Angelos factus est sermo*; ideoque Cyrillus lib. 8. Thesauri, cap. 2. asserit Angelos legem distasse, dicens; *Angeli legem administrauerunt*; per ipsos enim dictata est: *Filius verò Euangelium prædicauit*.

29. Quæritur quarto, utrum Deus in veteri testamento ita apparuerit, ut assumpserit illa corpora phantastica, sub quibus apparebat?

30. Respondeo duas, esse sententias. Prima docet Deum ita apparuisse, ut assumpserit illa corpora phantastica, sub quibus apparebat, non quidem per vnionem hypostaticam, sed per vnionem accidentalem extrinsecam motoris ad suum mobile: exempli gratia, cum tres Personæ diuinæ apparuerunt Abrahæ sub figura trium virorum, assumpserunt illa tria corpora per vnionem accidentalem extrinsecam motoris ad suum mobile.

31. Secunda sententia Suarij lib. 6. de Angelis, cap. 20. num. 44. negat Deum in veteri testamento assumpsisse illa corpora, sub quibus apparuit: & hæc opinio est probabilior. Ratio est, quia ut spiritus assumat corpus, debet illi vniri ut motor immediatus, ita ut illud moueat, proportionaliter, ac anima mouet corpus; sed corporibus, sub quibus Deus apparuit, Angelus vnitus est ut motor immediatus, assistens illis proportionaliter, ac anima corpori; Deus autem ad mouendum talia corpora concurrebat solum ut prima causa concursu generali; ergo. Si verò quæretur, quo pacto Deus sub talibus corporibus apparuerit, licet illa non assumpserit, dicendum, quod sub illis apparuit, quia illa corpora formata

mata sunt, & mouebantur ab Angelo ad Deum ipsum representandum, & quia Angelus per ea, quæ per talia corpora agebat, & loquebatur, representabat ipsum Deum, Deus sub illis corporibus apparebat. Ideo S. Augustinus libro contra Adimantum, cap. 9. asserit, id quod apparet, dici Deum propter inhabitantem Personam Dei, & Angelum, ex persona seruientis creature.

32. Quæritur quinto, quid dicendum sit de apparitionibus noui testamenti.

33. Respondeo: certum est in nouo testamento secundam Personam Trinitatis, hoc est, Verbum diuinum, seu Filium Dei apparuisse visibiliter in carne assumpta, & hypostaticè sibi vnita. De hac apparitione dicitur ad Titum 2. Apparuit gratia Dei omnibus hominibus, erudiens nos: & cap. 3. Apparuit benignitas, & humanitas saluatoris nostri Dei: & 1. Io. 1. Annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis: Baruch. 3. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.

34. Hoc posito, primo dubitatur, vtrum, & quo pacto aliæ personæ, Pater nimirum, & Spiritus Sanctus apparuerint in nouo testamento?

35. Aliqui, quos refert Suar. lib. 6. de Angelis, cap. 21. num. 3. docuerunt Patrem, & Spiritum Sanctum in nouo testamento nunquam apparuisse.

36. Dicendum nihilominus cum Suario loco citato, quod licet Pater, & Spiritus Sanctus in nouo testamento non legantur apparuisse sub specie humana, tamen apparuerunt sensibiliter apparentia oculari, vel auriculari. Probat: nam Matth. 3. cum narratur baptismus Christi, dicitur: *Ecce aperti sunt cali, & vidit spiritum descendentem sicut columbam, & venientem super se, & ecce vox de celo dicens: hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui;* ergo Spiritus Sanctus apparuit oculariter sub specie columbæ, Pater autem, licet non legatur apparuisse oculariter, legitur auditus, ac proinde apparuisse auriculariter. Io. etiam 1. dicitur: *Testimonium perhibuit Ioannes dicens, quia vidi spiritum descendentem quasi columbam de celo, & mansit super eum.* Actorum 2. in die Pentecostes dicitur Spiritus Sanctus apparuisse sub figura linguarum ignearum.

37. Secundo dubitatur, vtrum in his apparitionibus Pater, & Spiritus Sanctus apparuerint ministerio Angelorum, vel per se ipsos sine vilo Angelorum ministerio.

Aliqui, quos refert Suar. lib. 6. cap. 21. num. 10. dicunt illos apparuisse sine vilo ministerio Angelorum. Probabilius nihilominus est, vt censet Suarius, quod etiam in nouo testamento apparuerint ministerio Angelorum, vt docet August. lib. 2. de Trinit. cap. 6. & 7. & Gregorius lib. 28. moral. cap. ultimo, & vt insinuat Cyrillus lib. 3. in Io. cap. 3. quos sequuntur Theologi communiter. Ratio est, quia ad ordinariam prouidentiam spectat, vt Deus etiam in nouo testamento vtatur ministerio Angelorum.

38. Tertio dubitatur, vtrum per apparitiones, per quas Christus post resurrectionem, & ascensionem apparuit vt homo, apparuerit ministerio Angelorum, vel sine vilo Angelorum ministerio.

39. Respondeo Christum apparuisse duplici genere apparitionum, personali nimirum, per quam vilus est in propria humanitate, vel impersonali, & phantastica, per quam vilus est in aliquo corpore phantastico visione oculari, vel imaginaria. Cum apparuit personaliter, apparuit per se ipsum, sine ministerio Angelorum. Ratio est, quia humanitas Christi ad exercendas suas operationes se mouendi, formandi voces, mittendi species visibiles, non vtitur ministerio Angelorum; ergo. Quia verò Christus post resurrectionem sæpe Apostolis, & alijs personaliter apparuit, eique se exhibuit videndum, audiendum, tangendum &c. vt essent testes de visu resurrectionis, apparuit sine vilo ministerio Angelorum. Quia rursus post ascensionem, vt legitur Act. 9. apparuit Paulo, vt etiam ipse esset testis veræ resurrectionis Christi, etiam illa apparitio fuit personalis, & sine ministerio, vt docet Suar. lib. 6. cap. 21. num. 19. An post ascensionem facta fuerit alia apparitio personalis Christi, incertum est. Ex opposita ratione dicendum est, quod phantastica visione oculari, vel imaginaria tales apparitiones factæ sunt ministerio Angelorum ex regula vniuersali supra tradita. Ex proportionali ratione censendum est apparitiones phantasticas Beatæ Virginis & Sanctorum communiter fieri ministerio Angelorum.

40. Ad 1. ex eo quod apparitiones, quibus in Scriptura dicitur Deus apparuisse, tribuantur etiam Angelis, colligi debet tales apparitiones factas fuisse ministerio Angelorum, ac proinde apparuisse simul Deum, & Angelos, Deum vt principalem Personam, quæ per illa corpora phantastica representabatur; Angelos vt immediatos motores, eorundem corporum.

Ad 2. Licet sola Persona Filij deberet apparere sensibiliter per incarnationem, tamen congruum fuit, vt etiam aliæ Personæ in testamento veteri sensibiliter apparerent ad homines edocendos de mysterio Trinitatis. Quamuis autem aliqui Patres docuerint solum Filium apparuisse in testamento veteri, tamen alij Patres communius asserunt apparuisse etiam alias Personas, vt dictum est num. 14. & 15. Ad auctoritatem Concilij Syrmienensis respondeo Concilium loqui de duabus illis apparitionibus, quibus Deus apparuit Abraham, & luctatus est cum Iacob, at non negare, quod in alijs apparitionibus apparuerint etiam aliæ Personæ. Adde Concilium Symienense fuisse Concilium Arrianorum, licet existimetur in ijs Canonibus, quos statuit contra Photinum, non errasse.

Ad 3. Licet aliquando dicatur Deum in veteri testamento apparuisse, & non fiat mentio

ff

tio

tio Angelorum, tamen ex ratione vniuersali, quam attulimus, dicendum est illas etiam apparitiones factas fuisse ministerio Angelorum.

Ad 4. Figura non in omnibus debet correspondere figurato; ergo licet Deus ita per Incarnationem apparuerit in corpore humano, ut illud assumpserit, tamen in veteri testamento ita apparuit in corpore phantastico, ut illud non assumpserit, sed Angelus motor illud assumpserit, ut explicatum est.

TRACTATVS X.

De Loco, & motu locali Angelorum.



EXPLICATVS ijs, quæ spectant ad existentiam, essentiam, differentiam specificam, numerum, & corpora assumpta Angelorum, quæstione 52. & 53. disputat S. Thomas de loco, & motu locali Angelorum. Doctrinam harum quæstionum examinabimus hoc decimo tractatu pluribus quæstionibus, quarum tituli videri possunt in indice initio proposito.

QVÆSTIO CXXXVII.

Virum, & quo pacto Angeli sint in loco?

S. Th. q. 52. a. 1.

1. **V**identur Angeli non esse in loco: primo quia esse in loco est proprium corporum, nec conuenit substantijs spiritualibus, ac penitus incorporeis: ideoque Arist. 4. phys. t. 45. & 47. dicit: non omne, quod est, est in loco, sed mobile corpus; ac Boetius lib. de hebdomad. dicit: communis animi conceptio apud sapientes est incorporea in loco non esse; sed Angeli sunt substantiæ spirituales, ac penitus incorporeæ; ergo Angeli non sunt in loco.

2. Secundo omne, quod est in loco, habet positionem, & situm in loco, in quo est; sed habere positionem, & situm in loco est proprium rei quantæ; ergo omne, quod est in loco, est quantum; sed Angeli non sunt quantæ; ergo &c.

3. Tertio omne, quod est in loco, continetur, & mensuratur à loco, & à corpore, intra cuius superficiem continetur; sed Angeli cum sint penitus incorporei, non possunt contineri, & mensurari à loco, & à corpore, intra cuius superficiem continentur; ergo.

4. Quarto in tantum aliqua res debet esse in loco, in quantum indiget loco ad suam conseruationem, & perfectionem; sed Angeli non indigent loco ad suam conseruationem,

& perfectionem; ergo &c. Probatur minor: nam locus est superficies corporis continentis, ut docet Aristoteles 4. Physicorū t. 41. sed angeli cum sint penitus incorporei, ad suam conseruationem, & perfectionem non indigent, ut contineantur intra superficiem vilius corporis; ergo.

5. Respondeo de loco tum extrinseco, tum intrinseco, ac de vocatione, nec non de spatio tum reali, tum imaginario disputari in physica, ibique me egisse quæst. 26., & 27. Supponendo doctrinam ibi traditam, quæritur primò, vtrum Angeli sint in loco corporeo, puta vtrum sint in cælo, vel in inferno, vel in hoc cubiculo &c.

6. Mirandulanus Apologia 1. de descensu animæ Christi ad inferos refert quosdam suo tempore docuisse Angelos secundum suam substantiam loco corporeo præsentem verè, & propriè non esse, sed solum abusiue. Durandus in 1. dist. 17. quæst. 1. num. 17. refert aliquos asserentes Angelum esse in loco eo tantum modo, quo causa dicitur esse in effectu. Hanc autem sententiam videtur secutus Heruæus Tract. de motu Angeli, quæst. 1. art. 1. Aliqui etiam Thomistæ docuerunt Angelos non esse in cælo empyreo, ut in loco, secundum propinquitatem substantiæ suæ, sed quadam alia ratione.

7. Dicendum cum communi sententia, Theologorum, & Patrum Angelos secundum suam substantiam verè, & propriè esse præsentem loco corporeo: puta aliquos Angelos verè, & propriè secundum suam substantiam esse præsentem cælo empyreo; aliquos demones verè, & propriè esse præsentem inferno: aliquos verè, & propriè esse in mundo hoc inferiori &c.

8. Probatur primo ex Scriptura, & Patribus, ex quibus hæc veritas ita clarè colligitur, ut S. Thomas in 2. dist. 37. quæst. 3. art. 1. docuerit præsentiam Angelorum in locis corporeis sine hæresi negari non posse.

9. Primus locus Scripturæ habetur Apocal. 12. vbi describitur prælium Michaelis cum Dracone, & Angelis eius, ac subditur: Et locus eorum amplius non est inuentus in cælo: ergo Draco, hoc est Satan, & alij Angeli mali erant in cælo, ac deinde ex cælo sunt expulsi.

10. Secundus est Luc. 10. vbi dicitur: Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem: ergo Satan in Cælo fuit, ac inde expulsus cecidit.

11. Tertio infra agendo de motu locali Angelorum afferentur loca Scripturæ, in quibus Angeli dicuntur moueri de loco ad locum; sed non possunt moueri de loco ad locum, nisi essent in loco: ergo.

12. Ex PP. Nazianzenus Orat. 34. quæst. 2. de Theolog. sic loquitur de Angelis. Vbi que impigre adsunt, tum ob ministerij promptitudinem, tum ob naturæ leuitatem; Gregorius Nyssenus tract. de infantibus, qui præmaturè arripunt.